

REVERENDISS. PATRI

P. FRATRI CLEMENTI DE MO-

*nelia, totius ordinis Minorum generali ministro,
frater Seraphinus Cioniranus Feltrensis, eiusdem
ordinis, perpetuam felicitatem dicit.*



Naxagoras, Reuerendissime Pater,
quū ab eo quæreretur, cuius rei causa
natus esset, respondit, Solis ac cœli
videndi. Cæterum nobis qui Chris-
tiana religione imbuimur, longè
aliter respondendum est: non enim
vt ille censebat, solis cœliq; videndi

gratia nati sumus, at (quod longe maius est) vt Deū
totius cœli terræq; conditorem cognoscamus, cog-
nitum amemus, amato denique perfruamur. Deus
autē nulla alia ratione à nobis, quam per sacræ Scri-
pturæ lectionem, agnosci potest. In ea nanque se no-
bis tantummodo patefcit. Protinde quum mecum
sæpe animo reuoluerem, nihil homini hic esse meli-
us nihilq; præclarius quam si (iuxta Dauidicum con-
silium) in lege Dei noctu ac die meditaretur, in eaq;
totius vitæ suæ curriculum transigere (quoad eius
fieri posset) elaboraret, statui, omnibus aliis rebus
posthabitis, me totum dedere studio sacrarū rerum,
in quibus eo quotidie maiorem fructum & volupta-
tem capio, quo diligentius in earū meditatione ver-
sor. Quum autem inter legendum sæpe nonnulla in-
uenirem, quæ nisi penitus introspiciantur, locorūq;
inter se fiat collatio, non exiguam dubitationem af-
ferent, illa inter se non parum dissidere, idq; tamen
à Dei maiestate, piorumq; scriptorum natura longè
abesse debere, conatus sum pro mea virili ea inuicem
conciliare. Verum quum liber ipse iam longius ex-
creuisset, eumq; quibusdam meis amicis legendū ex-
hiberem, illi perlecto opere, me hortati sunt sæpiusq;
82 2 rogarunt,